



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs

**Johannes <de Castello>
Albertus <Magnus>**

Antverpiae, 1621

Cap. XXXV. Qualiter Albertus ad Ratisponam venit missus cum
benedictione à Papa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44148

CAPVT XXXV.

*Qualiter Albertus ad Ratisponam
venit missus cum benedictione à
Papa.*

Post Episcopatus verò susceptionem, à Domino Papa accepta benedictione, Albertus de vrbe Romana cum decenti Fratrum comitiua egreditur, longoque confectus labore itineris, Bauariæ tandem fines ingreditur. Cùm autem ciuitatem Ratisponensem post solis occasum fuisset ingressus, vt sine strepitu & pompa res ageretur, ad Ecclesiam sancti Blasij, quam Fratres Prædicatores inhabitant, humiliter declinauit; vbi à Fratribus miro cum fauore susceptus est. Manè igitur facto, cùm Missarum solemnia agerentur, venerabilis Præsul Albertus Fratrum cetera stipatus, Ecclesiam Cathedralem ingreditur, vbi Clerus & populus ad recipiendum Episcopum, quem venturum nouerant, fuerat congregatus. Intransque Chorum inter psallentium Clericorum & nobilium frequentiam
maius

maius Altare petiit, ibique diu pavimento adhærens, deuotè orationi incubuit. Interim autem concursus vtriusque sexus per totam excitatur ciuitatem; & ecce completa oratione, à Clero cum Canticis lætitiæ more Pontificum inthronizatus, summo commendatur Pastori, Deum benedicientibus quia talem digni sunt habiti supra se videre Sacerdotem, quem vitæ sanctitas commendat, & doctrinæ claritas cum celebri fama totius orbis spectabilem reddidit vniuersis.

CAPVT XXXVI.

*De simplicitate eius in Episcopatu,
& alijs quæ gessit.*

PASTOR itaque in populo Dei factus, eadem in corde humilitas, eadem in vestimentis ipsius vilitas fuit. Sic implebat officium Episcopalis dignitatis, vt non desereret Ordinis sui austeritatem, & conscientiæ puritatem: nam calceamenta sua rusticana ferre non erubuit; vnde à Bauarorū populo Episcopus cum botis, id est magnis & grossis
fotu-